



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 129. Vtrum sint possibles, ac necessarij ad perfectionem vniuersi aliqui Angeli, vel demones, qui naturaliter sint forma alicuius corporis diuersi à corpore humano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

384 De existentia, & incorporeitate Angelorum.

omni subiecto; ergo non sunt generabiles, sed solum à Deo creabiles.

13. Ad 1. nego maiorem, & dico præcipuum argumentum directè probans dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, desumi ex perfectione vniuersi, ideoque hoc argumento vnice vtitur S. Thomas 1. part. quæst. 50. & 51. art. vtroque primo.

14. Addo primo ex mirabilibus operationibus energumenorum, & magorum demonstrari saltem in genere dari aliquos spiritus intellectuales inuisibiles, adeoque euerti errorem Saducæorum, & Atheorum negantium omnem spiritum intellectualem inuisibilem.

15. Addo secundo ex iisdem operationibus probabiliter ostendi tales spiritus distingui ab animabus defunctorum. Videretur enim inuenerisimile, quod anima separata habeat maiorem vim mouendi corpora, quam anima corpori vnita; sed spiritus obsidentes corpora energumenorum habent maiorem vim mouendi corpora energumenorum, quam ipsæ animæ energumenorum, ideoque energumeni non possunt spiritibus resistere: rursus spiritus à magis euocati habent multo maiorem vim, quam animæ corporibus vnitæ, cum possint concutere terram, ciere tempestates in mari, & facere alios effectus, quos homines facere non possunt: ergo spiritus obsidentes corpora energumenorum, & euocati à magis distinguuntur ab animabus defunctorum.

16. Addo tertio opinionem docentem corpora cælestia moueri per propriam formam repugnare Platoni, Aristoteli, & omnibus ferè philosophis, theologis, ac Sanctis Patribus, ideoque esse reiiciendam, & ego illam reieci lib. 3. Philosophiæ, quæst. 7. ergo etiam ex motibus corporum cælestium sufficienter probatur dari substantias intellectuales superiores anima rationali, quæ proportionaliter se habent ad gubernanda cælestia, ac homines se habent ad gubernanda inferiora. Verum neque ex energumenis, neque ex motu corporum cælestium directè probatur Angelos carere omni corpore.

17. Ad 2. distinguo maiorem: nihil mouetur motu, quo sit diuisibiliter in loco, nisi corpora, concedo: quo sit indiuisibiliter in loco, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut sola corpora sunt diuisibiliter in loco, ita vt tota sint in toto loco, pars in parte, medietas in medietate loci &c. sic sola corpora mouentur motu, quo sint diuisibiliter in loco. Angeli sicut sunt in loco indiuisibiliter, hoc est toti in toto, & toti in singulis partibus loci, sic mouentur motu, quo sint indiuisibiliter in toto loco, & in singulis partibus loci. Damascenus dum dicit, quod Angelus est substantia intellectualis semper mobilis, loquitur de motu intelligibili, qui exercetur per actus intelligendi, & volendi, ac sensus est, quod Angelus est substantia intellectualis semper actu intelligens, & vo-

lens, vt explicat Sanctus Thomas 1. part. quæst. 50. art. 1. ad 2.

19. Ad 3. Vt docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 50. art. 1. ad 1. & 2. Origenes, & alij ex antiquis Patribus iuxta opinionem veterum philosophorum existimauerunt solum Deum carere corpore, Angelos omnes naturaliter vniri alicui corpori, & in hoc errauerunt. Bernardus dicens omnem spiritum creatum indigere corporeo solatio, docet, solum Angelos indigere corporeo solatio, non propter se, sed propter nos, vt nimirum familiariter hominibus appareant, & cum illis familiariter versentur, eo pacto, quo Raphael apparuit, & familiariter versatus est cum Tobia. Augustinus dum dicit dæmones esse aerea animalia, quia corporum aereorum natura indigent, non loquitur ex propria sententia, sed ex sententia Platoniorum. Gregorius Angelum vocat rationale animal metaphoricè propter similitudinem rationis, licet propriè non sit animal, cum careat sensu.

20. Ad 4. Deus per naturam est ita immortalis, vt nullo pacto possit destrui: Angeli per naturam sunt ita immortales, vt licet naturaliter non possint destrui, possint supernaturaliter destrui, & solum per gratiam habent, vt sint certi de sua æterna duratione, adeoque vt in sensu composito cum hac certitudine habeant immortalitatem, per quam nullo pacto possint destrui.

QVAESTIO CXXIX.

Virum sint possibiles, ac necessarij ad perfectionem vniuersi aliqui Angeli, vel

Dæmones, qui naturaliter sint forma alicuius corporis diuersi à corpore humano?

S. Thom. quæst. 51. art. 1.

1. Videtur ad perfectionem vniuersi requiri, vt præter Angelos omnino incorporeos, dentur etiam aliqui Angeli habentes corpora aerea, vel atherea: primo quia ad perfectionem vniuersi spectat, vt præter intellectus nullum animantes corpus, & præter intellectus animantes corpora crassa, & terrena, & valde imperfecta, dentur etiam intellectus informant corpora subtilia, aerea, & perfectiora: ergo.

2. Secundo præter corpora inferiora corruptibilia dantur etiam corpora cælestia incorruptibilia; ergo præter intellectum hominis, qui ordinatur ad animanda corpora terrena, & corruptibilia, dantur aliqui intellectus perfectiores ordinati ad animanda corpora cælestia, & incorruptibilia.

3. Tertio ad perfectionem vniuersi spectat, vt dentur omnes gradus animatorum; sed si non

non darentur Angeli, vel dæmones habentes corpora aerea, vel ætherea deferuentia non quidem ad sensum, sed solum ad motum progressuum, deesset vniuerso aliquis gradus animatorum: ergo &c. Probatur simul maior, & minor, & explicatur argumentum. In vniuerso dantur plures gradus animatorum. In infimo gradu sunt plantæ, quæ exercere possunt solum operationes vegetatiuas. In secundo sunt zoophyta, quæ exercent operationes vegetatiuas, & sensitiuas, non autem secundum locum motiuas, cum sint affixæ certis locis, nec possint moueri motu progressiuo. In tertio gradu sunt bruta perfectæ, quæ exercent operationes vegetatiuas, sensitiuas, & loco motiuas, cum moueantur motu progressiuo. In quarto gradu est homo, qui præter operationes vegetatiuas, sensitiuas, & loco motiuas, exercet etiam intellectiuas. Sed possibile est etiam corpus exercens operationes intellectiuas, & loco motiuas sine sensu, & hoc constitueret alium gradum animatorum: sicut enim zoophyta habentia sensum, sine motu constituunt gradum, sic hæc corpora habentia motum progressiuum sine sensu constituerent alium gradum: ergo debent dari aliqua corpora animata anima intellectiua, & loco motiua sine sensu; ergo debent dari aliqui Angeli, vel dæmones habentes corpora deferuentia solum ad motum localem. Hanc rationem satis obscure insinuat Caietanus in commentario cap. 2. Epistolæ ad Ephes. super illa verba secundum principem potestatis aeris huius spiritus, ac propter allatum argumentum inclinatur in sententiam Platoniorum admittentium dæmones habentes corpora aerea deferuentia solum ad motum localem.

4. Quarto idem probatur rationibus theologicis. Primo enim Genesis 6. habetur: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores*; sed nomine filiorum Dei non possunt intelligi alij, quam Angeli; tum quia septuaginta interpretes vertunt *Angeli Dei*; tum, quia de Angelis explicatur eum locum plures Sancti Patres, quos refert Vasquez 1. par. disp. 178. cap. 2. num. 6. tum quia si nomine filiorum Dei intelligerentur descendentes à Seth, nomine filiorum hominum intelligerentur descendentes à Cain, vt multi interpretantur, non esset ratio, cur ex coniugio filiorum Seth cum filiabus Cain nascerentur gigantes, vt narrat Scriptura; ergo Angeli potuerunt ducere uxores, ac generare filios; sed non potuissent, nisi haberent aliqua corpora; ergo dantur aliqui Angeli habentes corpora.

5. Quinto dæmones in inferno torquentur ab igne corporeo; sed purus spiritus non potest pati à corpore: ergo &c.

6. Sexto Ioannes Thessalonicensis in septima synodo, act. 2. probat Angelos pingi posse, quia habent corpora: synodus autem secuta est sententiam ipsius.

7. Respondeo cum Aristotele 3. de Anima t. 61. quem sequuntur philosophi, ac theologo communitè contra Platonicos, non esse possibiles, ac proinde non dari vltos Angelos, vel dæmones habentes corpora ignea, aerea, vel ætherea, vel vltum corpus diuersum à corpore humano. Probatur: nam omnis intellectus ordinatus ad animandum corpus eiusdem rationis cum corpore humano, est eiusdem rationis cum anima humana, adeoque non est superior anima humana: animæ enim ordinatæ ad corpora eiusdem rationis, sunt eiusdem rationis, eo pacto, quo omnes animæ ordinatæ ad corpora equina sunt eiusdem rationis; sed omnis intellectus possibilis, qui ordinatur ad animandum corpus, ordinatur ad corpus eiusdem rationis cum corpore humano; ergo omnis intellectus possibilis, qui ordinatur ad animandum corpus, est eiusdem rationis cum anima humana, adeoque nullus est possibilis intellectus naturaliter ordinatus ad animandum corpus, qui intellectus sit diuersæ rationis, ac superior anima humana. Probatur minor: ad illud solum corpus animandum potest ordinari intellectus, quod est idoneum instrumentum ipsius; sed solum corpus humanum est idoneum instrumentum intellectus; ergo &c. Probatur minor: intellectus eatenus ordinatur ad animandum corpus, quatenus cum sit imperfectus in genere intellectiui, debet intelligere cum quadam dependentia à sensu, & à phantasia; ergo idoneum instrumentum intellectus debet esse corpus sensitiuum. Iam tota virtus sensitiua interior, & exterior fundatur in tactu, ideoque nulla pars corporis potest habere vltum alium sensum, nisi habeat tactum; ergo corpus sensitiuum debet esse tactiuum; sed virtus tactiua est virtus discernendi prima sensibilia, hoc est calida, & frigida, humida, & sicca, & fundatur in mediocritate temperamenti: solum enim corpus ex natura sua mediocriter calidum, frigidum, humidum, ac siccum est idoneum instrumentum ad discernenda hæc sensibilia; ergo corpus sensitiuum debet esse mediocriter temperatum: ex quo oritur, vt animalia habeant temperamentum quoddam medium inter corpora non sensitiua; sed temperamentum resultat, & fundatur in mixtione elementorum; ergo corpus sensitiuum debet esse mixtum ex elementis; sed vt qualitates, seu virtutes elementorum participantur æqualiter, ipsa elementa debent participari secundum moles inæquales, ita elementum, quod est potentius in virtute, participetur in mole tanto minori, quanto virtus ipsius est maior; ergo terra, & aqua, quæ sunt elementa minoris virtutis, debent participari in maiori mole, quam aer, & ignis, quæ sunt elementa maioris virtutis, adeoque corpora sensitiua quoad molem debent esse maxima ex parte terrena, & aquea, nec possunt esse aerea, vel ignea. Hæc mediocritas temperamenti, in qua fundatur virtus sensitiua, non consistit

Ccc

in

in indiuisibili, sed suscipit magnam latitudinem, ideoque corpora diuersorum animalium differunt in temperamento, & consequenter in virtute sensitua, & in alijs proprietatibus, quæ consequuntur ad virtutem sensituiam. Quædam enim animalia habent temperamentum magis terreum, ac proinde siccum, & frigidum; quædam habent temperamentum magis igneum, ac proinde calidum, & siccum &c. & ex diuersitate horum temperamento- rum sunt diuersæ species animalium habentiū perfectiorem, vel imperfectiorem vim sensituiam. Inter varia animalium corpora illud, quod habet temperamentum maximè mediocre, habet perfectissimam vim sensituiam; sed illud solum corpus est idoneum instrumentum intellectus, quod habet perfectissimam vim sensituiam, corpora vero habentia vim sensituiam non ita perfectam sunt solum idonea instrumenta animarum irrationalium; ergo solum corpus habens temperamentum summiè mediocre est idoneum instrumentum intellectus; sed hæc maxima mediocritas temperamenti conuenit soli corpori humano, quod proinde est medium inter corpora omnium animalium, & inter omnia corpora; ergo solum corpus humanum est idoneum instrumentum intellectus. Et quia etiam mediocritas humani temperamenti suscipit quandam latitudinem: quædam enim corpora humana aliquantulum excedunt in calore, quædam in frigore &c. ideo quædam corpora humana sunt instrumenta magis idonea intellectus, quædam minus: ex quo oritur, vt ex hominibus aliqui sint naturaliter ingeniosiores, aliqui minus ingeniosi, minusque prudentes. *Duri enim carne, inepti mente, molles autem bene apti*, vt ait Aristoteles 2. de anima, text. 94. cuius ratio est, quia durities carnis oritur ex temperamento terreo, ac sicco, molities autem ex mediocri. Corpus inter humana habens temperamentum exquisitè mediocre, habet perfectissimam vim sensituiam, adeoque est aptissimum instrumentum intellectus, quale rationabile est fuisse corpus Christi, vipotè formatum à Spiritu Sancto, vt esset organum, & instrumentum Verbi diuini.

3. Breuiter potest argumentum sic concludi. Ad illud solum corpus animandum potest naturaliter ordinari intellectus, quod est idoneum instrumentum ipsius; sed corpus vt sit idoneum instrumentum intellectus, debet habere perfectissimam vim sensituiam, & perfectiorem vi sensitua corporum brutalium; corpus habens perfectissimam vim sensituiam debet habere temperamentum exquisitè mediocre, ac medium inter contraria; hoc autem temperamentum conuenit soli corpori humano; ergo intellectus ordinari potest ad animandum solum corpus humanum; sed intellectus ordinatus ad corpus humanum est eiusdem rationis cum anima humana; ergo omnes intellectus ordinati ad corpora sunt eius-

dem rationis cum anima humana; ergo nullus datur, vel est possibilis intellectus ordinatus ad corpus diuersæ rationis ab anima humana; ergo non dantur, neque dari possunt vlli Angeli corporei, ac præsertim repugnant Angelis æerei, vel ætherei, vel ignei, quia in talibus corporibus non potest dari temperamentum mediocre, quale requiritur ad perfectissimum sensum; ergo & dantur Angeli omnino incorporei, & nulli dantur Angeli, vel dæmones corporei.

9. Posset dici dari aliquos intellectus ordinatos ad corpora, non quidem sensitua, sed purè secundum locum motiua.

10. Sed contra: nam talis est proportionaliter forma, qualis est propria operatio ipsius: e.g. forma, quæ habet propriam operationem materiale, ac dependentem ab organo corporeo, etiam ipsa est materialis, ac dependens à corpore: forma, quæ habet propriam operationem immateriale, quidem, atque independentem ab organo corporeo, sed connexam cum operatione materiali, qualis est intellectio connexa cum sensu, etiam ipsa est immaterialis, atque independentes à corpore, sed est connexa cum corpore, atque ordinatur ad animandum corpus, qualis est anima rationalis; ergo proportionaliter forma, quæ habet propriam operationem non solum immateriale, sed inconnexam cum operatione materiali, etiam ipsa non solum est immaterialis, sed non est connexa cum corpore, & non ordinatur ad animandum corpus; sed eo ipso, quod intellectus non ordinatur ad corpus sensituium, habet vim intelligendi sine vlla connexione cum sensu, & phantasia, adeoque habet propriam operationem non solum immateriale, sed non connexam cum operatione materiali; ergo eo ipso talis intellectus non est connexus cum corpore, neque ordinatur ad animandum corpus; ergo potest etiā moueri localiter sine corpore; ergo repugnat intellectus ordinatus ad animandum corpus solum propter motum localem. Confirmatur: nam ipsa anima rationalis tunc solum dependet à corpore quoad motum localem, cum dependet quoad intelligendum, ideoque anima separata, quia intelligit sine corpore, ac sine sensu, etiam mouetur localiter sine corpore; ergo intellectus, qui nunquam habet intellectionem dependentem à sensu, & imaginatione, nunquam mouetur dependenter à corpore, adeoque non ordinatur ad corpus propter motum; ergo vniuersim repugnat intellectus diuersæ rationis ab anima rationali ordinatus ad corpora animanda.

11. Ad 1.2. & 3. Quia videtur, quod si sunt possibiles Angeli, ac dæmones habentes corpora ærea, vel ætherea &c. ad perfectionem vniuersi requiratur, vt dentur de facto, ideo ad ostendendum, quod non dentur, debuit ostendi, quod non sunt possibiles, & ex hoc corruunt argumenta in contrarium. Primo enim ad perfectionem vniuersi requiritur solum,

iam, ut dentur intellectus ordinati ad corpora, quæ sint idoneum instrumentum intellectus; sed solum corpus humanum, ac terrenum, & corruptibile est idoneum instrumentum intellectus, corpora verò aërea, vel æthereæ, vel cælestia, & incorruptibilia non sunt idoneum instrumentum intellectus; ergo &c. Secundo nec est idoneum instrumentum intellectus corpus deseruiens solum ad motum, non autem ad sensum; ergo non debet dari intellectus ordinatus ad corpus solum motuum secundum locum. Adde, quod inductio sensibilis graduum, secundum quos ordinantur corpora animata, confirmat impossibile esse corpus animatum anima intellectiva, & secundum locum motiva sine sensu. Ut enim aduerit Aristoteles secundo de anima t. 31. animata ordinantur sicut figura. *Semper enim in eo, quod est consequenter, est potentia, quod est prius, & in figuris, & in animalis, ut in quadrato quidem triangulus est, in sensitivo autem vegetativum;* sed figura trilatæ, quadrilatæ, quinquelatæ &c. ordinantur ita, ut figura quadrilatera includat essentialiter trilatæ, quinquelatæ includat essentialiter quadrilatæ, & trilatæ, & vniuersim figuræ superiores includant essentialiter omnes figuras inferiores: repugnat enim aliquid esse quadrilaterum, quin habeat tria latera, & addat quartum; repugnat aliquid esse quinquilaterum, quin habeat tria, & quatuor latera, & addat quintum; ergo etiam gradus animarum vegetativarum, sensitivarum, secundum locum motivarum, & intellectivarum ordinantur ita, ut anima sensitiva includat essentialiter vegetativam; anima secundum locum motiva, includat essentialiter sensitivam, & vegetativam; & anima intellectiva includat essentialiter motivam, sensitivam, & vegetativam, ita ut repugnet corpus animatum anima sensitiva, quod non sit vegetativum; repugnet corpus animatum anima secundum locum motiva, quod non sit sensitivum, & vegetativum; ac repugnet corpus animatum anima intellectiva, quod sit secundum locum motivum, sensitivum, & vegetativum; ergo repugnant Angeli habentes corpora secundum locum motiva sine sensu.

12. Ad 4. ex loco Genes *videntes Filij Dei* &c. Dicendum, quod sicut aliqui ex Sanctis Patribus secuti sunt errorem Platonis, & censuerunt dari aliquos Angelos corporales, sic decepti sunt in intelligentia Scripturæ, cap. 6. Genes. ac putarunt nomine filiorum Dei, qui acceperunt sibi uxores ex filiis hominum, & genuerunt gigantes, intelligi Angelos, vel demones. Sed sicut certa iam est præsertim post Concilium Lateranense sententia communior Sanctorum Patrum, quam sequuti sunt Scholastici, quod nulli Angeli, vel demones habeant corpus, sic eodem gradu certitudinis est certum, quod nomine filiorum Dei non intelligantur Angeli, vel demones, sed descendentes à Seth, qui quia vique ad il-

lud tempus perseverauerant in pietate, & cultu diuino, vocantur filij Dei, vel iuxta versionem septuaginta Angeli Dei; cum descendentes ex Cain, quia iam dudum à pietate descuerant, vocentur filij hominum. Quod autem gigantes, hoc est homines cæteris maiores statura, & robore, & ad bellum aptissimi oriantur ex connubijs magno amore initis, est consuetum, ut patet & ex Scriptura exemplo Goliath, & ex fabulis poetarum; cuius ratio physica est, quia principium actuum quo coniungitur principio passivo magis proportionato, & quo maiori inclinatione coniungitur, eo per se producit maiorem effectum.

13. Ad 5. ex eo, quod demones in inferno torquentur ab igne corporeo. Respondeo, quod spiritus potest supernaturaliter pati à corpore supernaturaliter agente, vel actione physica per potentiam obedientialem, aut alia ratione, vel actione morali, ut explicant Theologi ex professio suo loco, & nos dicemus quæst. 192.

14. Ad 6. ex septima synodo, dicendum, quod licet Ioannes Thessalonicensis probauerit Angelos posse pingi, quia habent corpus, tamen synodus sequuta est sententiam ipsius quoad conclusionem, ac docuit Angelos posse pingi, non autem quoad rationem, ut plerumque fit in Concilijs. Concilia enim dum definiunt aliquas veritates, non idcirco approbant omnia, quæ dicta sunt à Patribus ad illas probandas.

QVAESTIO CXXX.

Virum Angeli consent ex materia, & forma spirituali, vel sint compositi alia compositione?

S. Thomas quæst. 50. art. 2.

1. **V**idetur vera sententia Alensis 1. parte qu. 5. Sancti Bonaventuræ in 2. dist. 3. Richardi, & quorundam aliorum, quod licet Angeli sint omnino incorporei, tamen secundum suam naturam consent ex duplici parte spirituali, altera, quæ se habeat ut potentia, quæ idcirco vocari potest materia spiritualis, altera, quæ se habeat ut actus, ac forma substantialis. Primo quia Angeli sunt entia, & substantiæ completæ; sed in creatis solum compositum ex materia, & forma est ens completum, omnis autem materia, & omnis forma est incompleta, ideoque ipsa anima rationalis licet sit spiritualis, est ens incompletum; ergo Angeli sunt compositi ex materia, & forma.

2. Secundo sicut materia, sic forma non potest esse ens incompletum; sed Angeli sunt substantiæ completæ; ergo non sunt sola forma, sed sunt compositi ex materia, & forma.

3. Tertio datur compositum substantiale

Ccc 2

cx